

Respondeo I° instituto praeiudicio. In causa Pelagiana Augustinus censuit causam finitam esse, dubitationemque omnem esse sublatam vix ac rescripta venerant ab Apostolica Sede: censebat ergo Augustinus causas fidei finiri posse sola auctoritate Romanae Sedis. Respondet Bossuet ideo in ea causa sic censuisse Augustinum, quia res non erat obscura, nullaque alicuius momenti exsistebat dissensio inter Episcopos, et idcirco manifestus erat concors consensus Episcopatus cum sententia Romanae Sedis, qua constante concordia fiebat ut irrefragabilis esset sententia Innocentii. Verum haec responsio non satisfacit; divinat enim, non interpretatur verba Augustini. Nam a) iste consensus non fuit ab Innocentio postulatus, neque authentico modo prolatus fuit eo tempore, sed solum postea cum tractoriae Zosimi subscripserunt omnes Episcopi: b) Augustinus nullam mentionem facit huius consensus, sed soli rescripto Pontificis acceptam refert terminationem causae: porro si consensus Episcoporum totius orbis fuisset elementum necessarium pro valore definitionis, non illum potuisset omittere Augustinus. c) Si ex Christi institutione sola universitas Episcoporum est infallibilis index in causis fidei, eius consensus requirendus semper est ut causa vere dici possit finita; nam illum affirmantibus quibusdam Episcopis negare possunt haeretici, nec tenentur credere Romano Pontifici ipsum affirmanti; quia si is in fide errare potest, multo magis poterit in facto asserendo. Censuit ergo Augustinus sola auctoritate Pontificis causam esse finitam. At si una causa fidei finitur auctoritate Pontificis, omnes finiri possunt. Discremen enim earum, quod affertur, aliquas nempe esse claras, alias obscuras, non facit aliam et aliam esse auctoritatem docendi, sed solum ut in praeverente inquisitione maius vel minus studium collocetur.

Respondeo II. directe. Et primo quidem tenendum est censuisse Augustinum quod Stephanus non tulerit peremptoriam sententiam, propter quam non liceret aliter opinantibus in Ecclesia esse; ait quidem Augustinus Stephanum *contra scripsisse, atque paecepisse* atque *abstinendos putasse qui de suscipiendis haereticis priscam consuetudinem convellere conarentur*; subdit nihilominus: *vicit tamen pax Christi in cordibus eorum* (Stephani et Cypriani) *ut in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriaretur* (De Baptis. Cont. Donat. L. IV, cc. 23, 25). Scilicet neque Cyprianus Stephani, nec Stephanus Cypriani communionem abiecit.

Deinde advertendum est rationem cur Stephanus noluerit peremptoriam finire quaestionem, non aliam excogitari posse nisi eam qua diximus fieri ut Concilia necessaria secundum quid censeantur. Videns enim Stephanus non paucos Episcopos in Occidente et in Oriente dissentire, eosdemque magno animi aestu suam tueri opinio-

nem, sensit procul dubio in tanta animorum commotione fieri potuisse ut quaedam Ecclesiae, licet immerito, se ab unitate separarent, si statim res definiretur, prudentiamque postulare ut definitio communis consensu ederetur; ideoque differretur in tempus magis tranquillum, cum sedatis animis facilius veritas omnibus pateret. Satis proinde ei fuit pro munere suo veritatem asserere praecipiendo custodi primum antiquam, cum tamen excommunicationem, quam comminatus fuerat ut errantes revocaret, reapse non intulerit, significavit se tolerare contrariam primum, reique definitionem reiicere in tempus magis opportunum. Quod ea, quam diximus, ratio fuerit cur Stephanus noluerit rem peremptorie definire, ex eo probatur, quod vel haec fuit ratio, vel quia putabat se sine universalis Concilio eam non posse definire quaestionem. Atqui evidens est quod non hac altera ratione fuit permotus Stephanus. Etenim qui citra Concilium universale, sola sua auctoritate fretus comminatur in re controversa excommunicationem pluribus Episcopis, nisi obedient, is, nisi ludere dicatur, persuasus est posse se auctoritate propria quaestionem finire: atqui ita se gessit Stephanus qui excommunicationem Episcopis rebaptizantibus baptizatos ab haereticis comminatus est, ut ex Augustino colligere licet, et testatur Eusebius L. VII, c. 5. quoad Episcopos Ciliciae, Cappadociae et finitimarum provinciarum. Ergo.

Iam vero 3) rebus ita se habentibus, manifestum est quod quaestio non nisi communis consensu poterat finiri, et reapse finita fuit: et idcirco quod Augustinus et debuit provocare ad Concilii auctoritatem et potuit affirmare quod donec illud rem definisset, veritas nondum erat eliquata, nondum unitatem Ecclesiae scindebat rebaptizantium sententia et praxis. Id autem non ideo affirmare potuit quia simpliciter necessarium esset Concilium, sed quia necessarium secundum quid, et, ipsa Romana Sede annuente, ad sententiam conciliarem definitio ultima quaestiones fuit remissa. Hypothetice ergo loquitur Augustinus, in hypothesi nempe quod noluerit Romana Sedes ex se sola rem definire: et cum ait necessarium fuisse concordem auctoritatem totius Ecclesiae, nihil aliud facit quam afferre unam ex rationibus iis quae identidem suadent, et tunc suadent utilitatem et necessitatem secundum quid conciliorum.

VI. Ex demonstratis patet quid de appellatione a Papa ad Concilium dicendum sit. Appellatio a Papa ad Concilium innititur huic principio, quod Romanus Pontifex sit inferior Concilio, atqui hoc principium falsum esse, et verum esse contrarium ex demonstratis satis liquet; Romani enim Pontificis auctoritati universa Ecclesia vel in Synodus collecta subest: ergo. Huc faciunt testimonia allata Th. XXIV sub lit. D. ex quibus independenter ab infallibilitate inde

deducta, colligitur immediate quod modo asserimus. Porro infallibilitas Pontificis, quae citra quoque ea testimonia probatur, ratio est et ipsa cur nequeat habere locum ista appellatio, si saltem de decretis ab eo latis circa fidem vel mores agatur. At si inappellabilis est potestas docendi, erit quoque inappellabilis potestas universim iurisdictionis Romani Pontificis, seu potestas Primatus; est enim re potestas eadem: nec ab ullo iudicari potest qui solus potest infallibiliter de veritate doctrinae et honestate morum cuiuscumque iudicare. Praeterea Vicarius a Principe prorsus independentie immediate constitutus pro regime societatis totius, nullum alium iudicem habere potest quam ipsum Principem: cum ergo Romanus Pontifex sit Vicarius Christi, et ab eo immediate constitutus, solius Christi iudicio eius causae reservantur.

Dicimus doctrinam hanc, quod appellare licet a Papa ad Concilium, esse *schismaticam*: committit enim Ecclesiam cum suo capite, debitamque subjectionem, eamque prorsus necessariam ut quis membrum Ecclesiae sit, negat Capiti Ecclesiae: Dicimus eandem esse *haereticam*; nam constanti et universalis Ecclesiae doctrinae opponitur, adversatur directe dogmati de Primitu Romani Pontificis, eiusque potestatis plenitudine; eademque proscripta est a Pio II (cf. l. c.) et in Bulla Caenae §. 2. edictumque est in Concilio Vaticano Sess. IV. c. 3: «a recto veritatis tramite aberrare qui affirmant licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare». Est tandem ea doctrina *absurda*. Nam cum ad Concilium oecumenicum appellas, vel comprehendis in eo Papam, qui ipsum convocaverit, eique praesideat, vel non: si non comprehendis, 1) non habes Concilium oecumenicum: sed 2) habes collectionem illegitimam Pastorum: quae 3) qualiscumque et quantacumque sit subiecta est tota auctoritati Pontificis. Si vero comprehendis: absurdum est Romanum Pontificem *iure subiici auctoritati coactivae* (id enim appellatio requirit) illius Synodi, quae 1) non nisi voluntate Romani Pontificis existere potest: in qua 2) suprema et plena auctoritas est penes eundem Pontificem: qui proinde 3) potest omnia decreta eiusdem vel solo suo negativo dissensu irritare.

Itaque suprema et plena potestas Romani Pontificis est inappellabilis.

Quaeres I. an liceat unquam resistere Romano Pontifici. Respondeo: Pontifici docenti non licet, quia non errat. In hypothesi quod Pontifex male se gerat, iniusteque damna inferat, et Ecclesiam vexet, licet resistere Pontifici: «Licit enim (ait Bellarminus De Conciliis L. II. c. 19.) eum servata reverentia admonere, et modeste corri-

pere, repugnare etiam vi et armis, si Ecclesiam destruere velit. Ad resistendum enim et vim vi repellendam non requiritur ulla auctoritas». Et Suarez (Defens. Fidei. L. IV. c. 6. n. 16.) obiicientibus fieri posse ut Papa utatur sua potestate in destructionem, et si nullius ipse iudicio subsit, dicendam esse Ecclesiam imperfecte institutam, et insufficienter ei provisum: respondet plura remedia praesto esse in ea hypothesi; nempe auxilium interius Spiritus S., orationem communem Ecclesiae, secretam admonitionem: quartum, subdit, «non quidem iniquum, sed magis humanum et periculosum, ideoque non sine extrema necessitate adhibendum, est iusta defensio: nam si Pontifex manifestam violentiam, et iniustum vim inferat, ei resisti potest per modum defensionis intra terminos inculpatae tutelae: quia vim vi repellere naturale remedium est, et nemini denegatur, et non requirit potestatem superiorem, vel iurisdictionem in eo qui se defendit; sed solum ius seu vires ad se tuendum». Adde vero quintum remedium a Christo in eo constitutum quod Romanus Pontifex sit infallibilis in doctrina fidei et morum; hac enim prerogativa exsistente, nec potest esse universalis pernicies aut maximi momenti, quam Ecclesiae ipse inferat, et haud difficile poterit ipse ad rectum iustitiae tramitem revocari, si licita resistentia adhibita adigatur ad ferendam sollemnem sententiam circa ea quae facit.

Quaeres II. cur ergo Romanus Pontifex identidem aliorum iudicio se submisit? Respondeo, non se subiecisse, nec se potuisse subiicere *iudicio alterius coactivo*, seu non potuisse alteri conferre iurisdictionem coactivam in se ipsum; hanc enim ipse non habet, ideoque dare non potest, et eadem in aliis repugnat, cum universam Ecclesiae oeconomiam labefactet: sed solum se subiecisse aliis ut *arbitris*, manente penes se suprema potestate et independentia (II<sup>a</sup> II<sup>a</sup> q.LXVII, a. 1 ad 2); eumque in finem se subiecisse non ut sententia coactiva in ipsum ferretur, sed ut eius innocentia legali modo manifesta fieret.

Quaeres III cur ergo in foro interno alterius iudicio se submittit Pontifex? Respondet Suarez l. c. n. 11. dissimilem multipliciter esse rationem inter forum externum et internum. Nam 1) Pontifex non est ullo iure exemptus a iudicio Sacramentali, cum sit homo et peccator, et obligetur praecepto poenitentiae sicut ceteri. 2) Iudicium fori interni est altius et divinius quocumque iudicio externo; in illo enim principalis iudex est solus Deus, et Sacerdos solum est instrumentum Dei, eiusque vicem immediate gerit: unde de omnibus ultimam sententiam profert, a qua neque ad ullum hominem neque ad Pontificem appellari potest. 3) Quamvis probabilius sit Papam dare iurisdictionem Sacerdoti supra se ipsum ut peccatorem, est tamen in hoc ea iurisdictione dissimilis quod non est omnino coactiva, sed me-

dicinalis, cuius signum est quia confessarius non potest poenitentem omnino cogere ad poenam satisfactoriam, sed oportet eam ab illo voluntarie acceptari. Cf. quae diximus in Tract. de Poenitentia.

SCHOLION I.

Ex demonstratis habes quomodo discernas id quod est essentiale et accidentale, materiale et formale in Concilio oecumenico. Concilium enim oecumenicum spectari potest 1) quatenus oecumenicum est ratione habita oecumenicitatis, seu representationis iuridicae totius Ecclesiae per omnes Pastores et Doctores eius: licet enim Romanus Pontifex ex se solo totam Ecclesiam iuridice reprezentet, unde est et dicitur Pastor *oecumenicus*; concilium tamen oecumenicum dicitur in quo per omnes alias quoque legitimos Pastores et authenticos Doctores Ecclesia iuridice reprezentatur. Concilium enim unionem plurium dicit, unde illud vocatur Concilium oecumenicum quod coalescit ex iis omnibus qui Ecclesiam universam possunt iuridice reprezentare. 2) Spectari potest concilium oecumenicum quatenus vim obligandi habet, nimirum ratione auctoritatis. Priore modo spectatum ut oecumenicum sit concilium *convocatione* quidem, debet esse ex toto orbe catholico evocatum, licet necesse non sit, quod nec moraliter fieri potest, ut omnes prorsus Episcopi convenient: ut vero sit oecumenicum *celebratione* debet eodem modo agi ab Episcopis totius orbis. Inter hos autem primum locum tenet Romanus Pontifex: ita ut si neque per se neque per suos legatos is praesit, concilium celebratione non sit oecumenicum. Deficiente enim capite nequit haberi repreäsentatio totius Ecclesiae, neque actio communis, quae possit dici actio totius Ecclesiae, quemadmodum requiritur in Concilio oecumenico. Si vero altero modo spectetur Concilium, ipsum vim habet obligandi universam Ecclesiam, quatenus eius decreta confirmantur a Romano Pontifice. Hinc ut concilium oecumenicum sit sub priore ratione, essentialis est convocatio et celebratio eiusdem ex Episcopis totius Orbis: intelligitur autem celebrari concilium ab Episcopis totius orbis catholici, cum facta a Romano Pontifice convocatione universalis, facta proinde omnibus potestate conveniendi, pauci etiam convenient, si lex convocationis manet, ut contigit in Laterensi V. Unde accidentalis est Concilio sub hac ratione spectato maior vel minor numerus Episcoporum celebrantium concilium. Ut autem Concilium oecumenicum sit sub altera ratione, essentiale est ei quod a Pontifice confirmetur: accidentale autem quod vel antecedente vel consequente confirmatione confirmetur.

Porro si has duas rationes compares, patet quod formale Concilii est auctoritas, materiale vero est collectio Episcoporum; Concilium

enim eo spectat ut ferat leges. Et quia suprema auctoritas, quae vim confert decretis est auctoritas Romani Pontificis, hinc forma tandem totius Concilii est illius auctoritas.

Quia vero auctoritas Pontificis est independens a consensu Episcoporum, et proinde a numero suffragiorum ei adhaerentium Episcoporum, et existente forma habetur id quod essentiale est Concilio prout vim obligandi habet, hinc accedente confirmatione Pontificis decretis concilii, quod convocatione et celebratione non fuit oecumenicum, illud dicitur oecumenicum ratione auctoritatis, quatenus oecumenicum est quod universam Ecclesiam obligat.

Dices, si ita est, ergo definitio solius Pontificis poterit dici definitio Concilii oecumenici. Respondeo: debet quidem dici definitio oecumenica, quia est decretum Pastoris oecumenici; ut autem dicatur definitio *concilii*, aliquod concilium sive aliqua collectio Episcoporum esse debet: et si haec collectio sit ex toto orbe, erit definitio Concilii *materialiter* et *formaliter* oecumenici; si sit collectio partialis, erit definitio Concilii *formaliter* tantum oecumenici.

Nota tamen quod quamvis omnes catholici quoad rem convenient, tribuant nempe irrefragabilem auctoritatem concilii omnibus particularibus, quibus sollemnis Confirmatio Pontificis accessit; tamen in ratione loquendi discriminem est: nam non omnibus illis tribuitur appellatio *oecumenici*. Ratio generalis esse potest, quia in hac appellatione primum tribuenda ratio haberri potuit etiam elementi materialis: sive spectari concilium potuit eo priore quoque modo quo diximus, ut oecumenicum censeretur quod perfecte esset tale, nempe materialiter simul et formaliter: unde praeter quaedam Concilia partialia confirmata a Romano Pontifice, ut II, et V, quae propter solemnitatem quadam externam poterant aliis aequiparari, cetera non censentur sub nomine conciliorum oecumenicorum, nisi cum addito, h. e. si formaliter spectentur ratione habita auctoritatis.

SCHOLION II.

Ex institutione a Christo facta regiminis Ecclesiae, et magisterii authentici, liquet quinam ius habeant sedendi in Conciliis oecumenicis seu ius suffragii decisivi. Ii namque sunt omnes Episcopi iurisdictionem habentes, licet nondum consecrati. Dicimus *iurisdictionem habentes*, hi enim sunt Pastores et Doctores, qui habent scilicet ius regendi et docendi: dicimus: *licet non consecrati*; iurisdiction enim h. e. ius regendi et docendi non per consecrationem proprie sed per missionem Summi Pontificis obtinetur. Porro quod Episcopi convocandi sint patet; quia definire ea quae agenda et credenda sunt, munus est proprium Pastorum, cuiusmodi sunt Episcopi: ipsique sunt

ii qui ex divina institutione Ecclesiae regimen constituant, et idcirco Ecclesiam universam iuridice repraesentant. Quare abstinere quidem potest Pontifex a concilio oecumenico evocando, si tamen illud evocare vult, debet Episcopos omnes convocare. Omnes inquam, ut oecumenicum sit; et ceteroquin par est in unoquoque ius ad illud. Id constans Ecclesiae praxis confirmavit. Si tamen Pontifex aliquos etiam sine causa praetermitteret aut reiiceret, non videretur ex eo oecumenicitas Concilii quoad essentiam deficere, sed tantum quoad accidentale quoddam, seu quoad integratatem: adhuc enim moraliter tota Ecclesia repraesentaretur.

Ex privilegio Romani Pontificis et consuetudine eius auctoritate inducta, vocantur quoque ad Concilium cum iure suffragii decisivi Cardinales, quippe qui consilio et industria sua iuvant Romanum Pontificem in regime totius Ecclesiae, ac praeterea Abbates et Generales Ordinum, qui Episcopalis iurisdictionis participationem obtinent. Cf. Bellarminum De Conciliis L. I, c. 15.

THESIS XXX.

*Praerogativa omnis Romanae Sedis est in ipsa persona Romani Pontificis tanquam in subiecto: ideoque eae verissime dicuntur personales, eadem singulis ex aequo successoribus Petri competunt. Quare licet non uno ex capite fas sit distinguere inter sedem et sedentem, attamen reiicienda est prorsus ut falsa et absurdia distinctio huiusmodi eo spectans ut praerogativa et iura sedis alia sint a praerogativis et iuribus sedentium, atque gaudeat quidem Sedes Romana sive tota series successionis privilegio indefectibilitatis, vel infallibilitatis in fide, non autem singillatim quilibet successor Petri.*

Nota distinctionem inter Sedem et sedentem adhiberi posse quoad omnem iurisdictionem, omniaque iura Primatus; excogitatum tamen esse in quaestione de infallibilitate, et idcirco de ea nos heic loqui: quae tamen occasione huius quaestions dicimus, facile ceteris praerogativis Primatus aptari possunt.

I. Constat rationem multipliciter distinguere posse inter *Sedem* et *Sedentem*. Sane Sedes sive cathedra sive thronus sunt *materiалиter* locus ille in quo quisque sedet, et speciatim in quo sedet qui auctoritatem habet: unde Sedes signum est auctoritatis: ideoque metaphorice sumitur Sedes pro re signata, ut ipsam auctoritatem significet. Cum autem hoc sensu accipitur, accipitur *formaliter*. Iam vero in persona Pontificis duo distingui possunt et debent, nempe tum ipsa persona, quae per se privata est, tum auctoritas pontificalis. Porro

si haec duo ita ratione distincta seorsim consideres, et dein invicem compares, habes quod auctoritas 1) est perpetua; semper enim ex lege institutionis Primatus perseverare debet: 2) una est proinde eademque semper: 3) ea ante singulos successores exsistit: 4) ea alicui determinatae Ecclesiae est annexa, nimurum Romanae, quatenus in hac esse debet, et exinde in alias quoque Ecclesias exerceri. E contrario persona transit, pluresque sunt huiusmodi personae, singulique successores recentiores sunt ea auctoritate, quam ex se ipsis non habent, sed assequuntur; et ideo spectant ad Ecclesiam Romanam, quia ad illam assumuntur. Cum ergo Sedes sit symbolum auctoritatis, eadem distinctio fieri potest inter Sedem et sedentem. Sedes enim materialiter spectata potest concepi ut perpetuo durans, et formaliter spectata, prout nempe est auctoritas durare semper debet: Sedes ergo perpetua est: sedentes vero h. e. personae transiunt: Hinc Sedes est una, personae plures: Sedes ante sedentes successores exsistit, Romanaeque Ecclesiae semper inhaeret; personae singulæ succedentes ad eam assumuntur. Sedes tandem perpetua et una complectitur totam seriem Pontificum: singuli sedentes non sunt nisi pars huius collectionis. Multiplex ergo potest excogitari distinctio inter Sedem et sedentem; dicique potest cum Leone (epist. LXX) aliud esse Sedes, aliud praesidentes, nimurum aliud esse auctoritatem quae in aliqua Ecclesia vigere debet, aliud esse personas quae eam auctoritatem obtinent: nec per merita aut demerita personalia augeri aut minui iura sedis, seu amplitudinem eius auctoritatis.

Verum cuiusmodi est haec distinctio? Dicimus quod si nomine Sedis intelligatur tota series sedentium, distinctio inter Sedem et sedentes singulos est realis inadaequata: si vero nomine Sedis intelligatur auctoritas ipsa pontificalis, vel subiectum, sed in confuso, eiusdem, distinctio est tantum rationis; unumque est reale subiectum quod est Sedes et sedens: sive auctoritas non nisi in ea persona, quae sedere dicitur, reperitur tanquam in subiecto. Vitiosa scilicet et falsa est omnis distinctio inter Sedem et sedentem, cum de auctoritate sermo est, quae ita secernit utrumque, ut aliud subiectum auctoritatis constitutus praeter personam ipsam Romani Episcopi. Et licet singuli sedentes distinguantur realiter inadaequata a tota collectione, distinctio tamen haec afficit personas seu materiam non formam seu auctoritatem: quoad hanc enim, cum ipsa eadem semper sit, par est unus omnibus. Utrumque modo probandum est contra eos, qui ea distinctione inter Sedem et sedentem inepte abusunt: quae quidem distinctio, quamvis occasione quaestions de infallibilitate sit producta in medium, potest tamen ut diximus adhiberi pro quacumque praerogativa Romani Pontificis: quare et nos generalius disputabimus.